

dam adiaphoris ad salutem non pertinentibus, et perinde erit sequi hanc vel illam sectam. Mirum igitur est inveniri aliquos hoc tempore, qui sentiunt quemlibet in sua fide salvari posse. Ratio, qua moventur, est, quia incredibile existimant, omnes Judæos et Turcas, quorum plurimi Deum pie colunt et innoxie vivunt, in æternum perire, solum eo nomine, quod in Christum non crediderint, cum tamen in hoc videantur excusandi, siquidem a teneris non sunt aliter instituti, et pro captu suo faciebant id, quod poterant. Non ergo tam angustam cæli portam faciendam, uti hi omnes excluduntur tanto numero. Verum hæc ratio nihil urget. Nam primo, si non est incredibile Deum per aliquot annorum millia reliquisse mundum pene totum (excepta nimirum plebe Judaica) in tenebris idololatriæ, in quibus certo perierunt, facile etiam sibi persuadere qui-

que potest, idem contingere nunc Judæis et Turcis. Secundo, Turcæ et Judæi hoc tempore nullo minus excusari possunt, quod in Christum non credant, quam olim ethnici, siquidem illi fidem Christi facile indagare et addiscere possunt a Christianis, qui inter ipsos degunt, hi vero non item poterant, utpote tenebris undique obsessi et communis consuetudinis æstu ad patrios ritus abrepti. Denique, si sunt aliqui, qui de Christi religione nihil audierunt, nullumque ad eam quærendam et amplectendam stimulum senserunt, ii non damnabuntur ob infidelitatem, sed ob alia peccata, quæ contra legem naturæ commiserunt; si talia non commiserunt vel a Deo illustrabuntur ut veniant ad cognitionem fidei, vel si moriantur in naturali illa innocentia, penam damni tantum incurrent, non sensus in altero sæculo.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

PLURES IN MUNDO DIDYMI.

Thomas tripliciter Didymus fuit. — I. Tales appellatur bicordes. — II. Tales bilingues. — III. Tales bicipites.

THEMA.

Thomas autem, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Jesus. Joan. XX.

Quid est, auditores, quod Joannes solius Thomæ nomen interpretatur, et hoc quidem sæpius, uti Joan. c. XI. rursum, c. XX. denique, c. XXIV? Respondet ad hoc Theophylactus, id Joannem fecisse, ut significantur ejus mores, quod scilicet esse Didymus, hoc est, gemellus, varius, inconstans, dubius, duplex. Fuit sane gemellus, seu duplex, aliquando Thomas; habuit enim duo corda, unum audax et animosum, quando Joan. XI. dixit: *Eamus et nos, et moriamur cum illo*; alterum fugax et pavidum, quando Christum in Oliveti monte deseruit, et longius quam alii profugit. Habuit et duo capita, unum, quo credidit condiscipulis asserentibus Christum in cruce clavis et lancea perfossum; alterum, quo credere noluit asserentibus eum resurrexisse, et sibi apparuisse. Habuit et linguas duas, unam antequam videret Christum, qua dixit: *Non credam*; alteram postquam vidit, qua ait: *Domine meus et Deus meus*. Et vobis Didymum jure merito a Joanne ter hoc nomine nuncupatum, quia ter du-

plex fuit. Sed non est quod hoc Thomæ succenseamus, quasi solus ipse talis aliquando fuerit: sunt adhuc complures hujusmodi inter Christianos, uti nunc videbimus.

I. Didymi appellari possunt bicordes, qui se contrariis partibus accommodant, cum catholicis catholice, cum hæreticis hæretice vivunt; cum castis caste, cum incestis inceste; cum Deo et diabolo se conformare volunt. Similes Paphlagoniæ perdicibus, quæ duplex habent cor, teste Plinio, l. XI. cap. XXXVII. Tales sunt in primis secundum D. Augustinum, tract. VII. in I. cap. 8. Joan. qui, Christiani cum sint, dæmonem per sortilegia et incantationes interrogant, ut futura sibi indicet, vel rogant ut suis malis medeatur; quod sane hodierno die cum ingenti S. Thomæ injuria faciunt aliqui juvenes et juvenulæ. Audiant ergo isti S. Augustinum: « Non vult Christus communionem, sed solus vult possidere quod emit. Tanti emit, ut solus possideat: tu facis ei consortem diabolum, cui te per peccatum vendidisti. Væ duplici corde, qui in corde suo partem faciunt Deo, partem faciunt diabolo. Iratus Deus, quia sit ibi pars diabolo, discedit, et tectum diabolus possidebit ». Sic ille. Secundo, qui diversis sectis se accommodant. Qualis fuit ille consiliarius Elisabethæ reginæ Angliæ, qui rogans quemdam, quid de se sentirent transmarini (volebat enim videri orthodoxus, cum reginæ obsequeretur), respondentem audiit: *Domine, dicunt te imitari planctas; qui præter motum proprium simunt se*

rapi motu primi mobilis, apud Corn. a Lap. in Eccl. c. II. Ubi ait Ecclesiasticus de talibus: *Væ duplici corde. Qua voce videtur minari Samaritanis, qui modo ibant in Jerusalem ad adorandum Deum verum, modo in Dan et Bethel, ad colendos vitulos aureos: sentiebant partim cum gentilibus, partim cum Hebræis. Quod admodum turpe esse indicat vel Samaritana illa, quæ audiens Christum petere a se aquam, mox ei objecit: Quomodo tu, Judæus cum sis, bibere a me possis, quæ sum mulier Samaritana?* Joan. IV. quasi diceret: *Qua fronte, qua audacia cum Samaritanis communicare audes?* Hinc ipsi Samaritani, propter eam duplicitatem infames, et omnibus exosi erant, tam gentilibus quam Judæis, quod ex parte cum utrisque cum neutris plane sentirent: similes inquilino, qui in media domus contignatione habitans, ab inferioribus fumo vexatur, a superioribus lotionem perfunditur, ut dicebat Alponsus rex Aragoniæ de neutralibus, apud Panorm. in ejus gestis. Acrius Elias invehitur in tales Judæos, qui Deum verum colere se prostebantur, ea tamen in gratiam Achab et Jezabelis, ad idolum Baal supplices accedebant: *Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum.* III. Reg. XVIII. Quod quidem mirandum est: quasi melius sit sequi solum Baal, quam Baal simul et Deum; et tamen a ratione non alienum, quia tales nec Baal nec Deum quærent, sed seipsos. Utrique ergo imponunt. Nolebant illi offendere Baal, ob timorem regis et reginæ: timebant etiam offendere Deum, ne ab illo punirentur; neutrum ergo amabant, sed timebant serviliter, quia seipsos tantum amabant. Hoc est, quod Latini dicunt: *Duabus sellis sedere*, quod sane fieri nequit. Sed neque coram mundo successum habent isti gemini homines, teste eodem Ecclesiastico, c. III. *Cor ingrediens duas vias, non habebit successus, et pravus corde in illis scandalizabitur.* Quia scilicet contrariis dominis se volens accommodare, dum uni vult placere, alterum offendat, ejusque iram incurrat necesse est. Hinc proverbium: *Qui duos insequitur lepores neutrum capit.* Aristoteles, l. XVIII. de animal. ait: *Inveniri animalia monstruosa, quæ duo habent corda, pectora, capita, sed illa diu vivere negat. Idem jure timeant, qui duplex habent cor, ne mors eis immineat: Væ enim duplici corde.*

II. Tales et bilingues, quorum typus est gens in australi quadam insula, de qua Diodorus Siculus, lib. III. scribit, quod ab ima fauce linguam naturaliter divisam, tamque volubilem habeat, ut non tantum humanas omnes voces, sed quarumvis avium cantus imitari, et unus quidem

ex illa gente duobus commode respondere possit. Pulchrum certe figmentum, huic tamen loco accommodatum, bilinguem hominem describens, qui ex eodem ore contraria, huic nigrum, illi album; modo bona, modo mala loquitur; palam laudat, clam vituperat; aliter in præsentia, aliter in absentia; aliter apud hunc, aliter apud alium loquitur de eodem. Primo ergo, quidam absentibus detrahunt, præsentibus laudes canunt, vel saltem mutiunt sicut ranæ, quæ, appropinquante homine, silent, recedente vero, clamores extollunt. De quibus dicitur Prov. XXVII. *Qui benedicit proximo suo voce grandi, de nocte consurgens, maledicenti similis erit.* Tales erant Pharisæi, qui in faciem quidem Christum laudabant: *Magister, scimus, quia verax es, etc.* Matth. XXII. a tergo vero culpabant. Secundo, alii eodem ore modo laudant, modo vituperant eandem rem, ad instar illius Satyri Æsopici. « Viator quidam, a Satyro invitatus, cum eo comedebat. Hiems vero et frigus cum foret, homo manus suas admotas ori afflabat. Rogante autem Satyro quam ob causam hoc faceret, ait: *Manus meas calefacio propter frigus. Sed paulo post edulio calido allato et ad eo admoto, rursus insufflat. Quod cur faceret interrogatus, ut frigescat, inquit. Tum continuo Satyrus viatorem ejiciens: Nolo, inquit, in meo sit antro, cui tam diversum est os, ex quo calidum prodit et frigidum.* » Voluit auctor hoc apologo docere, non esse tolerandum in convicto et societate, qui contraria ex eodem ore loquitur. Confirmat idem Sapiens, Prov. VIII. *Viam pravam et os bilingue detestor.* Talis fuit improbus ille propheta, III. Reg. XIII. qui ex eodem alteri simplici prophetæ primo, denuntiat Dei jussionem, ut manducet; postea, Dei indignationem, quod manducaverit contra ejus præceptum. Tertio, qui aliter huic, aliter alteri de eadem re loquuntur, ut inter eos inimicitias serant. Quod etiam per apologum depingit Phædrus, libertus Augusti imp. in suis mythis, apud Pithæum. « Aquila, inquit, in arbore nidificans, pullos excluserat; ad radices arboris aper suos in antro fovebat catulos: inter utrumque felis suos alebat fetus. Illa sibi suisque tam ab aquila, quam ab apro metuens, aquilam adit, indicat hostem subesse aprum, qui arborem eversurus sit; ab eo sibi suisque caveat. Adit deinde aprum, idem illi de aquila intentans: Cave, inquit, ne aquila antro tuo superne incubans, catulos tuos rapiat. Ita aquila timens aprum, et aper timens aquilam, uterque nido se continuit: quo factum, ut uterque fame cum foetibus conficeretur. Feli ergo uterque in pabulum cessit. Ita bilinguis duos inter se committit, ut se mutuo conficiant; eorum

interim exitio ipse se locupletet. Jure ergo de ipso ait Ecclesiasticus, c. V. *Denotatio pessima super bilinguem*, quasi dicat: Turpissimum est, quando quis digito notatur de hoc vitio, additque pejus id ac turpius esse furto. Fur enim pecunias tantum, et fere ex egestate; bilinguis autem veritatem et fidem ac concordiam ex hominum societate aufert, mera invidia et odio.

III. Tertio, tales et bicipites, cujusmodi serpentes, amphibianæ dicti, reperiuntur, qui duo habent capita, unum in suo loco, alterum in caudæ loco: sicque prorsum et retrorsum eunt, ut refert Solinus, l. XXX. De his dicitur Eccle. III. *Cor ingrediens duas vias, non habebit successus*. Tales autem sunt primo, qui quæ volunt credunt ex rebus fidei, quæ nolunt, non credunt: uti Thomas initio, qui credidit asserentibus Christum in cruce vulneratum lancea et clavis; non credidit affirmantibus Christum resurrexisse. Volunt enim abstrahere a quibusdam fidei articulis per Concilia declaratis, solo symbolo fidei apostolico contenti: quoad alios articulos volunt esse quasi neutrales, ne displiceant hæreticis, et ne offendant catholicos, quasi non catholici. Sed isti scire debent, quod ait Dominus, Matth. XII. *Qui non est mecum contra me est; qui non congregat mecum dispergit*. Eadem est Ecclesia, quæ symbolum apostolorum, et quæ alios articulos credendos proponit: aut ergo in utroque, aut in neutro ei acquiescendum. Secundo, qui per simulationem cum religiosis et piis sentiunt, revera tamen cum mundo et lupis ululant; qui idcirco Jer. XVII. comparantur virgulto myricæ, quæ et in locis aquaticis reperitur, et in deserto, seu sterilibus, ideo anceps et ambivia dicta a S. Basilio, hom. V. hexam. l. III. c. XVI. « Sunt enim duplici corde viri, ait Ambrosius, ubique præsto sunt, et gratiam simplicitatemque apud bonos præstunt et vitiosissimis glutinantur: ita etiam in aquis et desertis, contrario quodam usu hæc virgulta nascuntur. Unde et Jeremias dubiam morum atque insinceram mentem myricis comparavit. » Pari modo cycnus amphibium est animal, in aquis et in terris degens: in pennis albus, in cute niger, duplici ratione simulatorem bicipitem representans. Hujusmodi amphibium fuit Balaam ille, qui videbatur sentire cum Hebræis, quia illis benedicebat, et commori cupiebat; interim animo perversus et auro superatus a partibus regis Balaac stabat, dans ei consilium malum ad pervertendos Hebræos; quam ob causam postea gladio Hebræorum cecidit, Num. XXV. Tertio, qui per dolum ad decipiendos homines duas inter se contrarias intentiones habent, aliam finis, aliam mediorum, a fine discrepantem et

distortam. Quorum typus est vulpes, quæ dolose incedens, crebro infert pedem, quo non direxit cursum, ut canes insequentes se aut venatores decipiat. Talis fuit Herodes, de quo Christus: *Dicite vulpi illi*, Luc. XIII. quia quasi jurisjurandi religione obstrictus, Joannem occidit, cum revera amore pellicis id egerit. *Tristitiam præferbat in facie*, inquit Beda in Marci c. VI. *cum lætitiâ haberet in mente, scelusque excusat juramento, ut sub occasione pietatis impius fieret*. Sic et Absalom sub prætextu religionis rebellionem in patrem molitus est, II. Reg. XV. Qui proinde miserime periit, quemadmodum et Herodes in exilio. Quarto, qui volunt et non volunt: volunt finem, sed nolunt media ad eum requisita; habent ergo quasi duo capita, de quibus Prov. IV. dicitur: *Vult et non vult piger; anima autem operantium impinguabitur*, q. d. vult impinguari et saturari piger, sed non vult panem sibi operando quærere. Hujusmodi fuit Balaam supradictus, qui optabat quidem mori sancte cum justis: *Moriatur anima mea morte justorum*, Num. c. XXIII. sed non voluit vivere cum justis. Huic fortasse similes erunt hoc tempore non pauci, qui desiderabunt ut nascatur et divertat in ipsorum corde Christus; interim tamen non laborant, ut parent ei hospitium, evacuando conscientiam a peccatis: desiderant mori cum sanctis, sed volunt vivere cum reprobis: Didymi sunt, monstra sunt. Quare respiciant cum S. Thoma, et caput alterum deponant, si cum eodem recipi in gratiam et regnare in celo cupiunt.

CONCIO II.

QUINAM PERTINACES THOMÆ ASSECLÆ.

- Pertinaces Thomæ asseclæ sunt. — I. Qui intellectum suum aliorum judicio et Ecclesiæ subjicere nolunt.
— II. Qui a stultis suis propositis nolunt avelli.
— III. Qui passiones suas frænare nolunt.

THEMA.

Affer manum tuam et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis. Joan. XX.

Patitur usque hodie bonus, ut sic loquar, et sanctus ille Thomas, et quidem a nobis, qui ipsius incredulitatem toties promulgamus, nec solum in ecclesia, ac pulpitis, et quidem bis in anno exagitamus, sed etiam in foro sæpe et privatis ædibus traducimus; adeo ut incredulos et pertinaces in sua opinione appellemus *incredulos Thomas*, vel *caput Thomæ*. Equidem gauderet absque dubio sanctissimus hic apostolus, si solus aliquando pertinax fuisset; sed videt heu quam

plurimos, qui non solum ipsum æquent, sed et longe superent. Etenim ipse tandem convictus, deposuit caput et errorem suum; multi autem sunt, qui etiam convicti, fateri errorem nolunt, neque deponere. Quinam vero tales? Audiamus.

I. Tales sunt qui intellectum suum captivare, aliorumque judicio subjicere nulla ratione volunt, ut in primis hæretici, de quibus dixi alibi. Hujusmodi fuit inter alios Macarius patriarcha Antiochenus, qui in Concilio Constantinopolitano, sub Constantino juniore, solus ex centum et quinquaginta patribus, duas in Christo voluntates pertinaciter negavit, addens se citius millies moriturum, quam de sententia decessurum. Quare, abrepta de collo stola, expulsus est e Concilio, et anathemate percussus; moxque eadem hora omnes araneorum atræ telæ laquearibus conclavis delapsæ sunt; omnium judicio, viles hæreticorum doctrinas et importunas tunc evanuisse, Car. Sigon. lib. II. de rege Italiæ, num. DCLXXXI. Hæreses ergo telæ araneorum sunt, quibus hæretici velut muscæ pertinaciter implexi, et a diabolo intricati, hærent. Secundo, catholici etiam aliqui divinis quibusdam testificationibus satis manifestis, fidem adhibere nolunt. Quidam expectare videntur prophetam e sepulcro, vel de cælo, qui divinam illis explicet voluntatem: alias non creditur Deum id velle, quod e ss. libris aut a confessoribus audiunt. Sed hic mos Dei non est semper, alioquin in contemptum venirent miracula, si crebra nobis essent; et qui tales sunt, nec miraculis aut mortuis crederent, ut dixit Abraham epuloni: *Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent*, Lucæ XVI. Suscitavit Christus Judæis Lazarum, et Sauli Samuelem; neuter tamen in admonendis illis quidquam profecit. Fuit hujusmodi conjux Oswaldi Milseri nobilis viri, qui prope Seveld oppidum Tyrolis habitans, cum ob temeritatem grandioris hostiæ sacræ petita debiscere cum terra cœpisset, sed ob suam penitentiam servatus fuisset, veniunt quidam de populo, et annuntiant hoc conjugi, quæ tunc in horto suo juxta aridum putridumque arboris stipitem stabat; nec adduci poterat a tot testibus oculatis, ut crederet quod asserebant. Denique, ex iracundia tam impossibile esse, ait, quod dicunt, quam impossibile est ex hoc stipite lilia exerescere. Quid fit? Statim tria integerrima lilia prodeunt e stipite. Ipsa tamen nihil mota, dum adhuc persistit in sua pertinacia, abripitur a dæmonibus, nec comparet amplius, ut habetur in libro ejus loci asserto, et in tabella ad parietem affixa, an. 1334. ut refert Tilm. Bredend. et Val. Leuchtius, in virid. regis. Rapta est a dæmonibus, quia vel ipsi dæmo-

nes credunt et contremiscunt, Jac. II. Illa autem nec credere, nec contremiscere ad tam tremendum mariti periculum voluit. Tertio, quia sano consilia non audiunt, nec concionatoribus aliisque piis monitoribus credunt, existimantes se rem æque bene aut melius intelligere. Quales erant Judæi plerique, maxime Scribæ et Pharisæi, qui nec Joanni, nec Christo prædicanti fidem habebant. Unde tam Christus quam Joannes appellat eos, *serpentes et gemina viperarum*, quia serpentes aures ocludere dicuntur, ne incantatores audiant. Joannes quidem de se ait, se esse vocem clamantis in deserto, sed quomodo in deserto? Si enim ibi nullus auditor fuit, quare prædicavit? Aut si habuit auditores, quomodo in deserto? Quia licet audiretur a multis, perinde tamen erat, ac si in deserto loqueretur, saxis tantum et arboribus. De Christo vero ait Joannes: *Quod vidit et audivit (in sinu Patris) hoc testatur, et testimonium ejus nemo accipit*, Joan. III. Hispanam, Perusinum adolescentem nobilem, sed admodum dissolutum, cum probrum familiæ esset, Simon Cæculus cognatus ejus, senex magnæ auctoritatis et admodum prudens ad se vocavit, et cum rationibus multis eum ad meliorem vitam hortatus esset, virtutum decorem, et vitiorum turpitudinem ei proponens, ille: *Ornate admodum dixisti; verum centies jam pulchriores orationes in hanc sententiam audivi, et tamen nulla earum correctus unquam fui*. Refert Poggius, in facet. En quale caput Thomæ! Nimirum sicut mare non dulcescit, licet trecenta in id flumina dulcis aquæ influant; ita perversus difficile corrigitur. Sed audiant isti Deum, si homines audire nolunt. Prov. I. loquentem: *Despexistis omnes consilium meum; ego quoque in interitu vestro ridebo*.

II. Qui voluntatem suam frangere nolunt et e proposito suo divelli nequeunt. Quales primo, capitosi, uti frater quidam S. Francisci, qui prætextu sanctitatis perpetuum silentium sibi indixerat, ita ut nec ore confiteri, sed nutibus tantum vellet. Franciscus, ut semel saltem in hebdomade confiteretur, jussit; sed persuadere non potuit: unde malitiam ejus intelligens, prædixit fratribus, diaboli impostura hominem decipi; idque brevi patuit, cum ad vomitum deserto ordine regressus est, Marulus, l. IV. CVI. Utinam hic non plures sibi similes haberet, qui in confessione pertinaciter, dum peccatum aliquot abscondunt, hostem suum occultant! Talis diaboli secretarius in suam perniciem fuit Judas, qui toties notatus a Christo de suo scelere, id nec fateri nec abjurare voluit. Audiit dicentem Dominum: *Vos mundi estis, sed non omnes. Manus tradentis me mecum est in mensa. Tu dixisti. Quod facis, fac cilius*, sed

Ipse quasi nihil sibi conscius esset, mutus remansit. Nimirum bene *diabolus* a Christo appellatus, quia incorrigibilis uti *dæmon*, de quo Job XLI. dicitur: *Stringetur quasi malleatoris incus*, h. e. verberibus magis indurabitur. Secundo, contentiosi, qui tantum ne victi putentur, cedere alteri nolunt. Qualis illa mulier, quæ merulas esse contendit, quas maritus turdos asserebat, ut alibi dixi. Tu si vincere cupias in contentione, cede alteri, juxta doctrinam B. Ægidii fratris S. Francisci: « Quando, ait, quis contendit tecum, si vis vincere, perde. Ita et S. Greg. Naz. orat. III. de pace: Cedamus ut superemus. Videte palæstræ leges, athletarum certamina, qui ex eo plerumque quod humi se deprimunt, adversariis superne insumentibus victoriam extorquent, » cum scilicet adversarium pedibus apprehensum in ruinam impellunt. Tertio, indurati diuturna consuetudine, qui tandem nec blanditiis, nec promissis, nec verberibus, nec minis flecti ad bonum possunt. Hujusmodi fuisse narratur filius ille, cujus ebrietatem cum pater sæpius nec quicquam redarguisset, conspecto semel in via ebrius, turpiter instar porci in volutabro jacente, pueris quoque per multis eum iridentibus atque illudentibus, filium ad tam fœdum spectaculum vocavit, sperans eum hoc monstro ab ebrietate absterreri posse. Ille autem, viso ebrius: *Rogo, pater*, inquit, *ubi venit vinum illud tam dulce et generosum, quo iste inebriatus est, uti ego quoque id gustem?* Poggius, in facit. Sive hoc confictum sive factum sit, certum est non deesse filios hujusmodi, de quibus dici possit id Prov. XXVII. *Si contuderis stultum in pila sicut plisanas* (hordeum scilicet) *feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia ejus*. Unde non mirum, si contumacem filium qui potationibus, luxuriæ et conviviis vacat, nec parentum monita curat, jussit Deus lapidibus obrui ab universo populo civitatis, Deut. XXI. quia lapideum caput habuit.

III. Qui passionibus suis addicti, frænnum injicere nolunt. Quales primo, qui adduci nequeunt, ut injurias condonent, et inimico pacem dent, uti Nicephorus imp. Græcorum, qui Crunno Bulgarorum regi victo expoliatoque, proinde pacem suppliciter petenti, et quas vellet pacis condiciones efferebat, dare noluit, illud subinde repetens: *Quis ibit et decipiet Achab? Quis sive adversarius trahet me nolentem?* Quare Crunus in furorem versus, per noctem eum obruit et occidit cum ducibus et magna parte nobilitatis. Caput ejus resectum per dies aliquot in ligno suspendit, postea in formam poculi argento vestiit, et princeps Scelavinorum ex eo bibere suo exemplo docuit, Zonaras, apud Baron. an. 811. Ita nimirum

obstinatum illud caput jure punitum est; ut quod prius pacem dare noluit, postea vinum ministrare debuerit. De talibus Ezechiel, c. XXXII. dicit: *Descenderunt in infernum cum armis suis, et posuerunt gladios suos sub capitibus suis*, q. d. ideo descenderunt in infernum viri vindictam spirantes; quia quiescere non poterant, nisi super gladio et vindicta, donec eam sumerent. Secundo, qui affixi ad creaturam aliquam insano quodam amore, ad eam dimittendam et pœnitentiam agenda nequeunt adduci; uti Philisthæi, qui postquam ceperunt arcam fœderis, et viderunt sibi plurima ab ea inferri damna, prosterni Dagonem, vastari agros et villas per murium copiam innumerabilem, fœde etiam cruciari corpora sua, ita ut præ dolore ulularent in cœlum, nihilominus tamen eam non reduxerunt in terram suam ad Israelitarum Deum, sed retinuerunt per septem menses, et circumdlexerunt in perniciem suam, ut ubique eos cæderet, I. Reg. V. Sed quid miramur illos, cum adhuc et quidem inter Christianos multi tales reperiantur, qui animam suam in peccatis captivam tenent sub dæmonis ergastulo, et licet inde plurima damna in dies patiantur in bonorum operum frugibus, quæ omnes dum merito privantur, a muribus devorantur, quamdiu in tali statu vivunt, in anima per conscientiam vermem, perpetuo rodentem et lancinantem cor; non tamen adduci possunt, ut eam Deo suo restituant quamprimum, sed quandoque septem aut pluribus mensibus in corpore suo circumferunt miserabilem ac mortuam. Quis talibus non dicat id Eccli. XXX. *Miserere animæ tuæ?* Vidimus ergo Thomam multos habens socios in pertinacia, quos utinam haberet et socios in pœnitentia! Tametsi enim Thomas diu restitit, ad extremum tamen cessit, et dedit mel de petra, oleumque de saxo durissimo, limpidissimam scilicet divinitatis et humanitatis Christi professionem: *Dominus meus et Deus meus*. Sed qua ratione et quibus mediis sic emollita est hæc petra? Per quinque Christi vulnera, optimum remedium ad frangendos induratos. Belle hoc præfiguratum fuit in pugna Davidis cum Philisthæo, qui per quadraginta dies exprobrabat Hebræis. Tulit enim David quinque limpidissimos lapides de torrente, misitque in peram suam, quorum unum funda rotatum projecit et infixit in fronte Philisthæi, ita ut in faciem corrueret, I. Reg. XVII. Torrens passionem Christi, brevi transituram notabat, quinque lapides indurati, quinque ejus vulnera in passione sublata. David Christum signat, qui vel uno lapide, h. e. tactu unius vulneris sui, durissimam Thomæ cervicem fregit, ut is non resupinus, sed cum Philisthæo pronus, in terram caderet, ad pœni-

tentiam et fidei professionem. Quæ tam dura cervix est quæ perfringi nequeat tam limpidis lapidibus, hoc est, liquidissimis amoris Dei erga nostram salutem argumentis, si consideret propter se vulneratum esse, et tam dire quidem Dei Filium propter se aperuisse sanctos illos fontes tam pretiosi sanguinis, et propter se mortem subiisse, ut ipse viveret, et non moreretur in æternum Quantum enim supplicium expectare debet reprobus et obstinatos peccatores, si suo tam gravi supplicio Dei Filius id redimere voluit? Quantum malum debet esse peccatum, quod Dei Filium ita confecit? Quantum debet esse pretium unius animæ, et quanta gloria cœlestis, ut eam tanto pretio comparare voluerit? Ergo frangite capita vestra: *Scindite corda vestra*, o saxeii peccatores: erubescite in frontibus vestris, cadite in terram, et palmam Christo cædite, ac dicite: *Dominus meus et Deus meus*. Sic enim et vos palmam obtinebitis in cœlo.

CONCIO III.

CHRISTUS QUOMODO DOMINUS NOSTER ET DEUS NOSTER PECULIARI TITULO.

Christus, Dominus noster et Deus noster est. — I. Quia noster frater et concivis. — II. Quia noster cibus. — III. Quia nostrum pretium. — IV. Quia nostrum præmium.

THEMA.

Dominus meus et Deus meus. Joan. XX.

Quid sentit D. Thomas, cum Salvatorem nostrum, omnibus communem, appellat *Dominum suum et Deum suum*? Numquid nos excludere vult a Domino nostro, et solus gaudere? Minime gentium; sed vult indicare, (quod etiam in v. t. sæpius insinuat) Christum Dominum esse propria et peculiari ratione *Deum ac Dominum nostrum*. Ita enim Ps. CIX. ait David: *Dixit Dominus Domino meo*, Christo, uti ipse explicat: rursus Ps. LXVI. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus*: denique, Deut. VI. *Audi Israel Deus; Deus noster Deus unus est*, ut habetur in Heb. Quibus in locis secunda in deitate persona constanter *Deus noster* dicitur. Quærendum igitur venit, quomodo Christus Dominus, speciatim *noster Deus et Dominus* sit. Hanc questionem videtur elucidare Ecclesia, dum in hymno festi corporis Christi canit: *Se nascens dedit socium, convalescens in edulium; se moriens in pretium, se regnans dat in præmium*. Quibus quatuor considerationibus peculiari ratione Christus est *Deus noster*, quomodo interdum dicimus: Hic est meus filius; hic meus

equus, quem scilicet præ cæteris amo; hic est meus cibus, mihi nimirum maxime gratus; hic meus thesaurus.

I. Noster est, quia noster frater et concivis, ob naturam humanam assumptam, imo et sponsus noster per fidem, et gratiam. De quo Ecclesia canit: *Se nascens dedit socium*. Assumpsit Christus naturam humanam, et quidem vinculo indissolubili, ut nec per mortem ejus solvi posset hoc matrimonium. Desponsavit etiam sibi animas per fidem et charitatem: quis neget illum esse Dominum, imo sponsum et fratrem nostrum? Unde S. Cyprianus, ser. de ascensione Christi ait: *Participes Dei sumus, per creationem, noster Deus est per incarnationem*. Dicit Deus: *Meus est homo*. Dicit homo: *Meus est Deus*. Homo, cujus Deus est, quid amplius quærit? Si sufficit tu Deo, sufficiat tibi Deus. Hoc est, quod miratur David, Psalm. VIII. *Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum?* per incarnationem scilicet, de qua Zacharias: *Visitavit nos oriens ex alto*, Luc. XI. Quantum vero hoc est, habere Deum consortem naturæ humanæ! Sane David, cum a Saule primus, tum a paronymphis offerretur ei filia regis Saul in conjugium, obstupuit dicens: *Quis ego sum, aut quæ et vita mea, aut cognatio patris mei in Israel, ut fam gener regis?* Postea servus ejus: *Num parum vobis videtur esse generum regis?* Ego autem sum vir pauper et tenuis, I. Reg. XVIII. quasi diceret: Ego homo pastoritius et pauper sine omni dote, sponsam regiam accipiam? Pastorem sumus nos, et est Dei Filius, nostram sibi naturam, nostras etiam desponsavit animas tam pauperes et miseras! Quantum ergo nobis gratulari debemus, de hac Dei erga nos dignatione, nec angelis quidem concessa; et quam caute et sancte vivere, ne hunc talem et tantum fratrem et sponsum nostrum labe aliqua aspergamus! Quam sedulo ei servire! David, ubi gener Sauli effectus fuit, mirum in modum gratiam soceri venari et conservare studuit, se humiliando, eique serviendo, et in omnibus prudenter agendo. Ad ejus petitionem non centum, ut petatum erat, sed ducentos Philisthæos cæcidit, numeratis Sauli eorum præputiis; vexato a malo spiritu psallebat; contra hostes ejus in prælium exiit; pulicem et canem mortuum se, licet de ipso optime meritis, appellavit, dum ejus insidias sustineret. Quid ergo non decet facere nos Deo nostro? Præsertim cum ipse nobis se longe alium exhibuerit, clementissimum, benignissimum? Quid non fecisset Sauli David, si ab ipso quæsitus fuisset, ut in regio ejus solio collocaretur, qui hæc fecit quærenti se ad necem? At Christus sine nostris meritis, imo post magna nostra demerita propter nos de cœlo in terram

venit, ut nos exaltaret; relictis in cœlo angelis, oves perditas quæsit, pastoritio indutus sago, per sentes et spinas currendo, nec commisit hoc opus angelo vel alteri servo suo. Quis non amet tamen Dominum? Quis non ad nutum ei serviat? Hoc enim est, quod admirabundus dicere voluit Thomas: *Dominus meus et Deus meus!* quasi diceret: Tu me quasi ovem perditam pastor quæstivisti; quare vicissim ex intimis animi præcordiis te diligo et veneror, velut Dominum meum, Deum meum, patrem meum, qui vitam mihi perditō reddidisti.

II. Quia noster cibus, isque nobilissimus, nobis proprius, et proportionatus corpori et animæ, dum sub visibili specie seipsum dat in alimentum animæ nostræ. Unde Ecclesia canit: *Convalescens in edulium*, se nimirum dedit. Cibus Hebræorum in deserto proprius fuit manna, per quadraginta annos; quem proinde de cœlo lapsum, velut ingens beneficium, merito admirati sunt, clamantes: *Manu quid hoc?* Quasi nescirent illum proprio nomine appellare præ reverentia, appellarentque *panem angelorum*; non quod in illo angelus aliquis contineretur, sed quod panis esset delicatissimus et angelis dignus; ita ut si angeli comederent, non alio pane vesci deberent, et quod ab angelis confectus fuisset. At vero cibus et panis noster supersubstantialis non solum a Christo conficitur, sed ipsum etiam continet. Unde David cibum hunc velut ineffabilem, non potuerit effari, sed præcise ait: *Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus*, Psal. LXVII. Quid paravit? Tacet, quia tam sublimis est; tamque nobilis et delicatus, quem paravit panis, ut effari eum non potuerit. Inde forsā etiam antiqui patres et Christiani nominare eum non solebant præ reverentia, uti S. Augustinus illo subinde verbo eum insinuans: *Norunt fideles*; et S. Chrysostomus: *Novistis vos, fideles estis*. Miratur David, Psal. VIII. quod nobis Deus omnis generis creaturas subjecerit, et in escam ac potum dederit: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum! Quid est homo quod nemor es ejus? Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas, insuper et pecora campi, volucres cœli et pisces maris*. Sed nihil sunt ista respectu ipsius creatoris, qui seipsum nobis in cibum dedit. Hunc panem quotidie petimus, velut nostrum in oratione Dominica. Unde Sanctus Cyprianus, in exposit. illius ait: « Panis vitæ Christus est, et panis hic omnium non est, sed noster est: et quomodo dicimus: *Pater noster*, quia intelligentium et credentium pater est: sic et panem nostrum vocamus, quia Christus noster (qui corpus ejus contingimus) panis est. » Quare qui hunc panem abominantur, ostendunt se

vicinos esse morti et perditioni, quemadmodum ægri, qui escam omnem, alioquin dulcem, aversantur. Graviter certe puniti sunt Hebræi, quod nauseam ceperint illius manna, quod figura tantum nostri panis erat: quanto magis punientur, qui nostrum aversantur? Deinde, dum illi manna comederunt, non erat in tribus eorum infirmus. Nos infirmi sumus, quia obliviscimur comedere panem nostrum. Ad hæc quo delicatior et nobilior est cibus, eo delicatiora et nobiliora fieri ea, quæ illo nutriuntur, animantia solent. Patet in ephēbis Nabuchodonosoris (extra miraculum) e regia mensa nutritis; patet in pecoribus, quæ tanto sapidiorem et teneriorem carnem acquirunt, quo nobiliora terunt pasqua. Itaque qui sanctitatem obtinere vult, crebro et digne ad hoc epulum veniat. Denique, sicut manna non est datum priusquam farina Ægypti consumpta fuit, defecit vero ubi cœperunt comedere de frugibus terræ, Jos. V. sic cibus iste non sapit, nisi quibus sæculi deliciæ viluerunt.

III. Quia nostrum pretium seu lytrum ad redimendas animas nostras e peccatorum debitis. Unde Ecclesia: *Semoriens in pretium*. Immensum hoc et inexplicabile etiam est beneficium Christi, quo se in mortem tradere voluit, ut a morte nos redimeret. Quid enim, si quis capitis reus in vinculis detineatur, quid non dabit pro redemptione et vita sua? Darius Persarum rex Alexandro Magno, pro captivis matre et duabus filiabus redimendis, obtulit triginta millia talenta. Non sufficit Alexandro: addidit quidquid terrarum circa Euphraten esset. Necdum sufficit; adjecit se ei filiam unam daturum in matrimonium. Nihil effecit; filium Ochum obsidem spondidit. Frustra erat; quia scilicet Darius necem ei per medicum machinatus fuerat; regnum Persarum habere voluit, Curtius et Plut. in Alexandro. Peccator in tali captivitate sedet, reus æterni ignis; unde nullo pretio redimi queat, nisi oblato Filio Dei. Demus Deo aurum nostrum, nihil erit: demus fundos et omnem substantiam, non sufficit: demus charissima pignora: demus vitam propriam, necdum satis est. Filius Dei quæritur. Et en Christus se pro nobis obtulit Patri, moriens in cruce, nosque libertati restituit. Cogita supplicia, rotas, furcas, rogos, equuleos, tormenta, quæ inferuntur maleficis, cum a magistratu deprehensi sunt, quam ea gravia et horrenda sint. Et quam multi talium rei non deprehenduntur! Quam multa scelera a magistratu etiam conscio minime plectuntur; siquidem fere ea tantum, quæ justitiam violant, mulcantur. Quid jam tot aliis aliorum scelerum patratōribus fiet? Nonne et ipsi sæpe capitis gehennæ rei sunt?

Sunt certe, sed en tibi lytrum redemptionis, Christum: *Accipe me, et redime te*, inquit. Celebratur passim inaudita charitas S. Paulini episcopi Nolani, qui cum sua omnia egentibus distribuisset, et a vidua rogaretur pro subsidio pecuniario ad redimendum filium Wandalorum captivitate, seipsum ei obtulit in servitutem pro filio, dicens: *Auri et argenti apud me relictum est nihil sed meipsum tolle: servum me juris tui proferre, atque ut filium tuum recipias, me vice illius in servitutem trade*. Id quod factum, redempto filio, ut scribit Sanctus Gregorius Magnus et Uranius presbyter ei familiaris, 22. junii, in Surio. Tanta hæc res fuit, ut femina se rideri putans, primo credere non potuerit episcopum serio loqui. Sed ecce rem magis miram. Non episcopus, sed Dei Filius se sibi in lytrum offert, uti obtulit in cruce, ad redimendam animam tuam a servitute dæmonis et morte æterna. Per illum namque te absolvit confessarius a tuis delictis. Ac licet relapsis pœna aliqua temporalis exsolvenda restet, eam etiam per Christum, applicando tibi ejus merita per satisfactionis opera, delere facile poteris. Tantum est hoc beneficium, ut propter id omnes angeli (quia nos non sufficimus) una cum beatis omnibus Deo laudem canere dicantur, Apocal. V. *Audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni et animalium et seniorum: et erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna: Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem et sapientiam et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem*.

IV. Quia nostrum in cœlo præmium, hoc est, objectum beatitudinis corporum gloriosorum, secundum suam humanitatem; sicut secundum divinitatem, erit objectum beatitudinis animarum et angelorum. Unde Ecclesia: *Se regnans dat in præmium*, peculiare videlicet et proprium beatorum post resurrectionem. De quo intelligendus Christus, Matth. XXIV. dicens: *Ubi cumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ*, significans ita convoluturos ad se electos in die judicii, sicut aquilæ convolant ad cadaver, ut inde pascantur. Eo totis viribus contendebat et aspirabat S. Job, hac una consolatione suos dolores leniens: *Scio quod redemptor meus vivit, et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum*, c. XIX. Hinc tanta cum patientia inter vermes et ulcera in sterquilinio sedit, spe videndi Christum in gloria sua: similiter S. Paulus: *Desidero dissolvi et esse cum Christo*, Phil. I. S. Thomas Aquinas, jussus petere a Christo mercedem scriptionis suæ: *Non aliam, ait, nisi teipsum: etenim: In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi*, ad Coloss. II. Vani et ridiculi Judæi fingunt Leviathan maxi-

mum esse piscem, et pro ipsis reservari in alterum sæculum, ut justi inde saturentur: idque tam firmiter credunt plerique, ut suam partem non venderent, pro magna auri et argenti quantitate; ut testatur Hieronymus a S. Fide, ex Judæo Christianus, medicus Benedicti pp. XIII. anno 1412. in lib. I. contra Judæos, c. VIII. Sic nimirum simiæ illa illuduntur a diabolo, nos Christiani certissima veritate asserimus Christum fore electis, etiam secundum humanitatem suam, præmium in cœlo et quasi convivium perpetuum, omnibus deliciis instructissimum. Pro eo sibi parando, S. Ignatius martyr nihil non pati optavit: *Ignis, crux, bestia, confractio ossium, membrorum divisio, et totius corporis contritio, et tota tormenta diaboli in me veniant: tantum Christo fruar*. Beatos dixit regina Saba servos Salomonis, qui stant coram eo semper, et audiunt sapientiam ejus, III. Reg. X. sed quanto beatiore electi, qui non stabunt coram Christo velut servi, sed cum ipso mensæ acumbent, velut amici, omnium honorum ejus participes! Igitur et nos Christiani, si aquilæ, si ingenui sumus, et in cœlo sedem quærimus, toto pectore Christum amemus velut fratrem, cibum, pretium et præmium nostrum. Non demus partem nostram, quam in Christo habemus, alteri, pro totius mundi opibus; nec absterreant nos minæ et tormenta diaboli: *Tantum Christo fruamur*.

CONCIO IV.

FIDES MELIOR AC BEATORUM QUAM SCIENTIA ET SENSUUM NOTITIA.

Melior fides, quam scientia et sensuum experientia. — I. Quia fides magis honorat Deum. — II. Quia fides certior. — III. Quia utilior est. — IV. Quia fides securior est. — V. Quia fides nobilior.

THEMA.

Beati qui non viderunt, et crediderunt. Joan. XX.

Sponsa illa sancta suo cum sponso colloquium inchoans, ita canit: *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua vino*, Cant. I. ver. I. quibus verbis desiderat sponsa, Ecclesia, vel etiam Beata Virgo, videre Dei Filium in carne, ut cum eo oretenus loqui, adeoque celestem ejus doctrinam possit excipere. Eam vero doctrinam comparat lacti; siquidem ac attingit ipsa ubera, e quibus sugat lac sapientiæ cœlestis, asseritque lac illud melius esse vino. Gregorius Nyssenus per vinum humanam sapientiam, per lac vero sapientiam divinam, ex uberibus sacrarum Scripturarum expressam intelligit, et recte: quia uti vinum, quod bibitur, oculis cernitur; lac vero